

cum fuerit de spe sua res ac
ceptum sumus mercedem de
narium. Ipa enim merces
reducitur operarius munera
laborantibus secundum eundem
gelum quod credo remissis
a. Neque enim omnia com
memoranda sunt tamquam
rudibus et imperitis. **Salv**

ne monitis et opum mi
raculis imbuebat. ut de
et unigenitus dei et filius
hominis crederetur. Nam
unum horum sine alio au
non poterat ad salutem
et equis erat. Primum co
mum. Ipsi sunt. Primum
dum tantummodo sin
Iomine. ut. **Salv**

nos



Tom. *Pruell.* 59.

~~G. 17. 2.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-42.

SIGNAT. CLDCCCXIII.

B. 17.



DISPUTATIO
DE VNO VE-
RO DEO, QUI EST PATER,
FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS,
habita in Academia Francofor-
diana: Præfide

VRBANO PIERIO S. THEOLO-
giae Doctore & Professore:

ET IMPIIS ANTITRINI-
TARIORVM, QUI SAMOSATE-
ni, Arii, Photini, Macedonij & aliorum hære-
ticorum errores ab inferis quasi reuoca-
tos longè lateq; disseminant,
blasphemijs opposita.



FRANCOFORDIÆ CIS VIADRVM
ANNO, M. D. LXXVII.

DISSERTATIO

DE VINO VER-

BO DEO QUI EST ET ER-

ITIVUS ET TRISTIS CARACTE-

ris Academiae Philosophiae

habetur: Pars I.

PER ANNO PIERO S. THEOLO-

giae Doctoris Professoris

ET IMPRIS ANTIQVARI-

TA RATIONVM. QVI BAMBORGAE

in aed. Joh. Baptistae Meubius & Joh. Meubii

licentia et auctoritate

per Jo. Jo. Meubium

plurimumque




FRANCOPOLITANIS VINDICIAM

ANNO M. DC. LXXXVII



DISPUTATIO
PRIMA DE DESCRIPTIO
NE DEI EX SACRIS LITERIS
EXSTRUCTA.

Propositio prima.

 Vm vera Dei agnitio, qua vniuersa pietatis Christianæ *πραγματεία*, Rom: 1. Ephes: 4. adeoq; summa nostra gloriatio, Ierem: 9. & beatitas Iohan: 17. continetur, sit vltimus & summus finis hominis: Gene: 1. Colofs: 3. in hoc toti esse debemus per omnem vitam nostram, vt Deum rectè agnoscamus & celebremus.

II. Hæc autem Dei noticia non ex philosophorum placitis, neq; ex prauis hominum profanorum opinionibus, (Nam mundus in sua sapientia Deum non agnoscit, 1. Cor: 1.) sed ex ipsius verbo, in quo sese nobis patefecit, petenda & haurienda est. Psal: 40. Esai: 5. Iohan: 5.

III. Etsi enim omnes homines etiam extra Ecclesiam partim naturali luce, Rom: 2. partim diuinorum operum consideratione Rom: 1. in aliquam Dei noticiam peruenire possunt: Tamen euanescent tandem in speculationibus suis, & obscuratur insipiens cor eorum, stultiq; redduntur, & Deum incognitum adorant: neq; vltra huiusmodi noticia in impijs procedit, nisi vt reddantur ipsi inexcusabiles, & ignorantiam impietati obtendere nequeant: vt ad Rom: 1. Apostolus grauissimè disputat.

III. At scriptura sacra, libris Prophetis & Apostolicis contenta, deducit nos in veram & solidam Dei cognitionem.

V. Vnde etiam meritò vocatur lucerna pedibus regendis Psal: 119. & lychnus in tenebris lucens 2. Pet. 1.

VI. Confusam enim alioqui Dei noticiam in mentibus nostris colligens, discussa caligine liquidò nobis verum Deum ostendit.

A 2

VII. Quò

VII. Quò accedit, quod æternus Pater Filium suum Angelum magni consilij Esa: 1. nobis Doctorem præfecit, ipsumq; vnum iussit auscultari. Matth: 17. Mar: 9. Luc: 9.

VIII. Is assumpta carne de vero Deo, qui natura sua absconditus & incomprehensibilis est Esa: 45. lucemq; habitat inaccessam, 1. Timoth: 6. ex sinu patris solide nos edocuit, Iohan: 1. ita vt nos in illustriorem Dei noticiam & vnicè salutarem perduxerit, eamq; virtute Spiritus Sancti in cordibus nostris ob- signauerit. 2. Corinth: 1.

IX. Neq; tamen putemus, Deum angustijs mentium nostrarum plenè perfecteq;, qualis quantusq; in se est, & sicut ipse seipsum nouit, in hac vita comprehendi posse: qui fuit Aeria- norum error: Sed tantam in his terris degentes noticiam Dei concipimus, quantam ipse in verbo suo nobis patefacere voluit & necessariam esse duxit.

X. In altera demum vita, in qua Deus erit omnia in omnibus 1. Corinth: 15. videbimus eum sicuti est 1. Iohan: 3. a fa- cie ad faciem 1. Corinth: 13.

XI. Id autem qualecunq; est, quod de Deo ex parte tanquam per speculum in ænigmate nunc statuimus, 1. Corinth. 13. non aliundè, quam ex verbi diuinitus reuelati præscripto & norma, peti debet, vt dictum est.

XII. Quoniam enim impossibile erat, vt Irenei verbis vtar, sine Deo discere Deum, per verbum suum docet homines scire Deum, lib. 4. Cap: 10.

XIII. Quod cum ita sit, videamus nunc ordine, quo- modo ex sacris literis de vero Deo erudiamur.

XIII. Et quia ad veram Dei noticiam, essentiæ & voluntatis ipsius cognitio requiritur: in præsentì disputatione tantum de essentia Dei agemus, doctrina de voluntatis ipsius cognitione in aliud tempus referuata.

XV. Imprimis autem hoc tenendum est, scripturam nobis Deum, nunc quid sit absolutè, nunc quid relatiuè, cog- noscendum proponere.

XVI. Vnde etiam vocabulum Deus, quoties simpli- citer,

citer, indefinitè & absolutè in scriptura ponitur, essentiæ nomen est & toti diuinitati commune, hoc est, non minus ad Filium & Spiritû Sanctum pertinet, quam ad Patrem: vt cum Deus vocatur Spiritus Iohan: 4. Quoties autem respectiuè ponitur, Paterq; & Filius inter se conferuntur, tum personam significat, & singulis diuinitatis personis seorsim tribuitur: vt cum dicitur: Misit Deus (Pater) Filium suum: Gal: 4. Verbum (Filius) erat Deus. Iohan: 1.

XVII. Primum igitur quando scriptura, quid sit Deus absolutè, describit, nominat ipsum ESSE: Ero qui ero: Exo. 3. Misit me ad vos is qui EST. Ibid. Gratia vobis & pax ab eo qui EST, & qui Erat, & qui venturus est. Apoca. 1.

XVIII. Quæ appellatio respondet etymologiæ nominis Iehouæ: quod nomen sibi solus Deus tanquam peculiare vendicat, eoq; ab omnibus creaturis vult discerni. Sicut ipse inquit: Ego sum I E H O V A, hoc est nomen meum, & hanc meam gloriam alteri non dabo. Esa: 42.

XIX. Vnde etiam hoc nomen non immeritò memoriale Dei vocatur. Exod. 3. Osee 12.

XX. ESSE itaq; propriè Deo conuenit, vt qui neq; cœpit, neq; definit, & qui suam essentiam non habet ab alio vt creaturæ.

XXI. Atq; ex hac mente scripturæ & fidei analogia, orthodoxi Ecclesiæ Christi patres vocem Essentiæ deduxerunt, eaq; indeterminatè pro Diuinitate, tribus in ea subsistentibus personis communi vsi sunt.

XXII. Hanc deinde Dei essentiam absolutam scriptura à proprietatibus definit: vt quod sit spiritualis Iohan: 4. 2. Cor: 3. Inuisibilis Exod: 33. Iohan. 1. 1. Timoth: 6. 1. Ioh: 4. Immutabilis, Psal: 102. Malach: 3. Iacob: 1. Viua Act: 14. 1. Thessal: 1. 1. Timoth: 3. 4. 1. Pet: 1. Hebræ: 3. 12. Infinita, 3. Reg: 8. 2. Para: 2. 6. Psal: 139. Esa: 66. Ierem: 23. Aeterna, Esa: 40. Psal: 89. 101. 102. Rom 1. 16. Immortalis 1. Timoth: 1. 6. Verax, Num: 23. Iohan: 3. 8. Rom: 3. Tit: 1. Sancta Leuit: 11. 19. Psal: 99. 145. 1. Pet: 1. Bona Matth: 19. Rom: 2. 1. Iusta Esa: 45. Baruch 2.

A 3

Rom:

Rom: 3. Misericors Deut: 4. Psal: 86. 103. 145. Ioel: 2. 2. Cor: 16
Liberrima Psal: 115. 135. Sapiens, Esa: 40. Psal: 117. Rom. 12.
16. 1. Timoth. 1. Omnipotens Genes; 17. Luc. 1. Rom: 4.

XXIII. Et sic ferè Deus absolute in scriptura defi-
nitur: relatiuè verò quid sit, deinceps ex eadem discendum no-
bis erit.

XXIII. Ac Primò quidem vnus Deus Deut: 6. 32.
Psal: 18. Esa: 43. 44. 45. Mala: 12. Matth: 19. Marc. 12. 1. Cor:
8. Gal: 3. Ephes: 4. 1. Timoth: 2. &c. describitur: vt interim Phi-
losophorum rationes, à Iohanne Damasceno lib: 1. Cap: 5. de or-
thodox. fide collectas, quibus vnitas Dei comprobatur, hìc
omittamus.

XXV. Deinde hìc vnus Deus, Pater, Filius & Spiri-
tus Sanctus nominatur Matth: 28. 1. Iohan: 5.

XXVI. Pater, qui Filium imaginem suam ab æterno
genuit, Psal: 2. Prouerb: 8. Sap: 7. Iohan: 1. Hebr: 1.

XXVII. Filius, qui est imago patris coæterna Col: 1.
& character hypostaseos ipsius Hebr. 1.

XXVIII. Spiritus Sanctus, qui ab æterno à Patre &
Filio procedit Iohan: 15. 16.

XXIX. Postremò hunc vnum Deum scriptura ex
actionibus & effectibus Patri, Filio & Spiritui Sancto commu-
nibus agnoscendum nobis proponit: quales sunt, Creatio omni-
um rerum, Gen. 1. Acto: 4. 7. 14. 17. visibilibus & inuisibilibus
Col: 1. earumq; conseruatio Psalmo: 33. Matth. 10. Iohan: 5.
Act. 17. Ecclesiæ ex humanogenere per ministerium verbi col-
lectio, Marc: 16. Act: 3. 4. 10. 2. Corinth: 2. 1. Iohan: 1. Apoc: 3.
eiusdemq; reparatio Ephes: 1. Col: 1. Hebr: 9. 1. Petri. 1. & san-
ctificatio, Ezech: 20. Soph: 1. Iohan: 17. Ephes: 5. Col: 1. Hebr: 10
13. Iudicij administratio Psal: 7. 9. 96. 98. Eccles: 3. Esa: 3. Ezech.
7. Actorum 17. Rom: 2. 2. Timoth: 4. 1. Pet: 4. Præmiorum
inter pios & pœnarum inter impios distributio. Matth: 25. &
huiusmodi plures alij.

XXX. Ex quibus omnibus eiusmodi descriptio Dei
conficitur: Deus est essentia spiritualis, inuisibilis, immutabilis,
viva,

viua, infinita, æterna, immortalis, verax, sancta, bona, iusta, misericors, liberrima, immensæ sapientiæ: & potentia: Vna præterea numero, & tamen communis Patri, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit: Filio, qui est imago Patris coæterna & coessentialis, genita: & Spiritui Sancto, qui ab æterno à Patre & Filio procedit: qui Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus omnes res creauit & conseruat, & in genere humano per ministeriū verbi sibi Ecclesiam colligit, eamq; per inobedientiam à se auersam in agnitionem & celebrationem sui reparat & sanctificat, & est iudex iustorum & iniustorum, hos quidem pœnis, illos verò præmijs æternis afficiens.

XXXI. Quæ descriptio Dei licet essentiam diuinam, ne ipsis quidem Angelis aut vlli creaturæ, sed soli Filio perspectam, non ita exprimat, vt ea sub intellectum nostrum cadat: ex verbo tamen Dei exstructa est, & in qualemcunq; Dei cognitionem nos deducat: sicut ex sequentibus, quæ erunt definitionis huius breuis explicatio, clarius patebit.

XXXII. Notandum autem est circa primam eius partem, cum Deus absolutè à proprietatibus suis describitur, eas in Deo non accidentales esse, sed substantiales.

XXXIII. Nihil enim Deo accidit, vt qui non est mutabilis, sed perpetuò sui similis manet. Mala: 3, Iacob. 1.

XXXIII. Vsq; adeò vt in Deo quæ non ad aliquid (quorum natura est, vt neq; eadem, neq; alterum ab altero esse possint) sed ad seipsum dicitur, non sit aliud quod ab eo habetur, & aliud Deus ipse qui habet: vt Hilar: loquitur lib: 8. de Trinitate.

XXXV. Vnde etiam Augustinus, Deo, inquit, est hoc esse, quod est fortem esse, vel sapientem esse, vel iustum esse. lib: 6. de Trin: Cap: 4. Et in Dei substantia non est aliquid quod non sit substantia. lib: de fide ad Petrum cap: 7.

XXXVI. Cum igitur diuina essentia nullis subiecta accidentibus, eorum quæ habet nihil amittat, & hoc ipsum sit quod habet; verè & propriè simplex dicitur.

37. Et

XXXVII. Et propterea nulli prædicamentorum subijci-
tur, & improprie substantia appellatur.

XXXVIII. Ita ut rectè Augustinus: Intelligamus
Deum quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate
magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præfidentem, sine
habitu omnia continentem, sine loco ubiq; totum, sine tempore
sempiternum, sine vlla sui mutatione mutabilia facientem, nihilq;
patientem, lib: 5. de Trin: Cap. 1.

XXXIX: Hæc etiam essentia diuina non constat
mole corporea, sed est spiritualis, impartibilis & infinita.

XL. Vnde reijcenda sunt deliria Manichæorum, qui
Dei substantiam frustatim in omnes creaturas transfusam esse,
ijsq; inhærere docuerunt: & aliorum, qui Deum esse corporeum
humanæq; formæ similem contenderunt, ipsiq; corporalem fi-
tum & locum assignarunt, siue ij Audiani ab autore, & Anthro-
pomorphitæ ex dogmate, siue Metangismonitæ, & Tertullia-
nistæ nominentur: & deniq; Messalianorum siue Euchetarum,
qui Deum oculis corporeis videri, adeoq; naturam eius sub sen-
sus nostros cadere affirmarunt.

XLI. Quo magis detestabilis est Serueti impietas, qui
Deum in corporibus corpus, in lapidibus lapidem, in arboribus
arborem, atq; ita omnium creaturarum formam in se habere nu-
gatus est.

XLII. Aeterna dicitur essentia diuina ad differen-
tiam omnium creaturarum, quæ non sunt ab æterno, sed certo
tempore esse cœperunt.

XLIII. Verax est, quia promissa præstat: & opponi-
tur hæc proprietas Diabolo, qui mendax est & pater mendacij.
Iohan: 8.

XLIII. Sancta & Bona est, quia Deus seipso per-
fectè sanctus & bonus existit natura, & est autor atq; fons &
causa omnis boni in creaturis.

XLV. Iusta est, cum in sese & natura sua, tum etiam,
quia erga impios iusticiam exercet Rom: 1. & scelera patrum in
tertiam & quartam generationem vlciscitur, Exod: 20.

XLVI Vn-

XLVI. Vnde etiam scriptura Deum mali authorem nominat, Esa: 45. Amos 3. Quia videlicet poenas & supplicia sceleratis hominibus irrogat & peccatorum ultor existit: quicquid hic in contrariam partem Coluthiani affirmarint.

XLVII. Cum hac tamen iusticia Dei coniuncta est misericordia, quam erga credentes exercet, ijsq; peccata remittit & iusticiam imputat, Rom: 4.

XLVIII. Atq; ideo Filium suum pro nobis in mortem tradidit, vt æternum exemplum iusticiæ & misericordiæ suæ ob oculos poneret.

XLIX. Liberrimus quoq; est Deus, quia non est alligatus causis secundis, vt Stoici finxerunt, sed quæcunq; voluit fecit, & sæpè contra naturæ ordinem liberrimè agit: id quod probant omnis generis miraculosæ actiones.

L. Deniq; Deus est immensæ sapientiæ & potentiæ, & secundum hanc omnia, quæ constituit, ordinavit, promisit, etiam contra naturæ ordinem præstat: quicquid hic ratio & sapientia humana contradicat.

LI. Hanc sapientiam & potentiam Sacramentarij Christo Deo & homini derogant, quando negant, cum salva humana natura sua posse simul & semel esse in diuersis locis: non perpendentes, qd pro infinita sua potentia & sapientia in & cum corpore suo & per illud facile possit, quicquid vult, sine destructione humanæ suæ naturæ facere.

DE VNICA DEI ESSENTIA, QVAE TRIBVS PERSONIS communis est, disputatio secunda.

I. Et tantum de prima definitionis parte, in qua Deus à proprietatibus suis essentialibus descriptus est, monuisse sufficiat: nunc de vnitæ essentiæ diuinæ, & tribus in hac personis, quæ est definitionis pars altera differemus.

B

II. Vni-

II. Vnitatis vocabulum inde natum est, quod vnum esse Deum scriptura asserit. sup. pos: 24.

III. Etsi enim non solus Pater, sed Filius quoq; & Spiritus Sanctus veri Dei nomine appellantur: non tamen tres propterea Deos dicimus.

IIII. Nec cum scriptura Patrem, Filium & Spiritum Sanctum nominat, tres ab inuicem separatas substantias introducit: sed saltem in quo Pater à Filio, Filius à Patre & Spiritus Sanctus ab utroq; differat, ostendit.

V. Neq; enim Filius Pater est, aut Spiritus Filius, sed proprietate quadam characteristica inter se distincti sunt, sicut infra dicendum est.

VI. Ad quam Patris, Filij & Spiritus Sancti differentiam exprimendam adhibitum est vocabulum Personæ, quam in præfenti disputatione vocant subsistentiam in Dei essentia, quæ ad alios relata proprietate incommunicabili distinguitur. Græci personas ὑποστάσεις & ὑφιστάμενα, & imitati Latinos testandi consensus causa, etiam tria πρὸσωπα in Deo esse, dixerunt.

VII. Vnde liquet, vnitatis vocabulum non personarum diuinitatis pluralitatem, sed Deorum gentilium multitudinem excludere.

VIII. Nam licet non multiplex sit, sed vna diuina essentia, simplex & indiuidua, vt quæ nullam distinctionem, nedum separationem admittit: tres tamen personæ inter se verè & realiter distinctæ in ea subsistunt, i. Iohan: 5.

IX. Et ob id essentiæ vnitatis à personæ siue hypostatica vnitatis sola definitione, id est formaliter differt, vt scholastici loquuntur: quæ hæc est incommunicabilis, maximeq; & simpliciter vna numero: Illa verò communicabilis, vt quæ communi ratione de suis hypostasibus dicitur.

X. Nam si hæc essentiæ vnitatis incommunicabilis esset, tres in ea personæ nullam realem & hypostaticam differentiam haberent, & non nisi secundum accidentia quædam vna hæc essentia à seipsa differret: quæ ratio vnitatis fundamentum est erroris Sabellij & Serueti.

XI. Scri-

XI. Scripturę etiam dicta de vnitate Dei, non de monarchia, principatu, dominatione & summa potestate Patris, sed de vnica diuina essentia, quę Patri, Filio & Spiritui Sancto communis est, intelligenda sunt.

XII. Cum enim Pater non sit absq; Filio, Iohan: 1, 10. 14. neq; Spiritus Sanctus absq; vtroq;: Iohan: 15. nulla in Patre extra Filium & Spiritum Sanctum monarchia statuenda est: sed sicut horum vna est diuinitas, ita etiam æqualis gloria & coæterna maiestas, vt Athanasius loquitur.

XIII. Vnam ergo essentiam diuinam ita dicimus, vt tres in ea subsistentes personas intelligamus.

XIIII. Neq; enim vt Gregorij Nazianzeni verbis vtar, vnum ^panimo concipere possumus, quin trium fulgore mox circumfundamur, nec tria discernere, quin subito ad vnum referamur. In serm: de sacro baptis.

XV. Atq; ita non communem seu aggregatiuum aliquem Deum fingimus, neq; essentiam à personis, & personas ab essentia auellimus: sed vna cum essentia personas, & essentiam cum personis comprehendimus.

XVI. Essentia siquidem Dei nihil aliud est quam hæ tres personę, & hæ tres personę sunt ipsa Dei essentia.

XVII. Vnde liquet, quod iniuria nobis fiat ab aduersarijs Antitrinitarijs, cum nescio cuius quaternitatis nos arguunt.

XVIII. Non enim extra has personas aliquam Dei essentiam ceu Deum quendam peculiarem, & à suis hypostasibus separatum statuimus: sed duntaxat quid hypostases istę commune, quid proprium & incommunicabile habeant explicamus.

XIX. Quomodo autem hæ tres personę vnus sint Deus, ita explicari, vt sub rationem cadat, non potest: Imò verius modi, quibus Pater, Filius & Spiritus Sanctus non sunt vnum, quam ratio vnitatis horum indicari possunt.

XX. Sunt enim vnus Deus non logicè, hoc est ita vt $\chi\omega\gamma\iota\sigma\omicron\upsilon\pi$ quiddam sint essentialiter, & non nisi propter logicum $\epsilon\iota\varsigma$ $\epsilon\iota\varsigma$ vnus quid esse & dici possint: vt cum Petrus, Paulus et Timo

B 2

theus

theus vnum dicuntur specie logica, propterea quod vna eorum est *ἀνθρώπων ὅτις*: ne plures unius diuinitatis essentias statuamus.

XXI. Neq; secundum indifferentem naturam, quæ est Tritheitis communicata Deitas, & essentię cuiuspiam secundę ex prima essentia propagatio, quam essentiationem vocant: ne Deum aliquem formatum agnoscere cogamur.

XXII. Neq; complexionis similitudinę, vt cum multi homines vnus naturę & temperamenti esse dicuntur: ne personarum inæqualitatem (cum quidem personę diuinitatis simul sumptę æquales sint singulis, quod in hominibus fallit) introducamus.

XXIII. Neq; materia, vt cum diuersę aquę, aut uasa argentea vnum esse dicuntur materia: ne plus essentię diuinę in tribus personis, quam in vna esse fingamus,

XXIII. Neq; deniq; partium compositione, (siue ea κατὰ προσθήκην ἢ παρὰ θεσιν, siue κατὰ σύγχυσιν, siue κατὰ σωζόν fieri dicatur) ne in qualibet persona aliquam essentię diuinę, quę indiuisibilis est, partem animo concipientes ipsas personas diuidamus & separemus.

XXV. Ita vt modus vnitatis horum inquiri nec possit nec debeat, sed mysterium hoc vnitatis & Trinitatis potius fide sit adorandum.

XXVI. Nam vt verę Bernhardus inquit, inquirere de Trinitate peruersa curiositas est, credere autem fides & securitas est.

XXVII. Quare verbo Dei edocti credimus & profiteremur, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum vnum Deum esse & ἀδιάρρητον quiddam, primum naturę seu æternę diuinitatis identitate, qua tres personę essentialiter in se mutuo, inconfusę & inseparabiliter ita vnitę sunt, Iohan: 14. vt ad inuicem tamen realiter distinguantur. Quam vnitatem Theologi nonnulli per περιχώρησιν, quę sit ὅλων πρὸς ὅλα: πάντελης ἐνωσις ἀμιγής, &c. descripserunt.

XXVIII. Quod autem de vnitatis essentię dicitur, id etiam de attributis eius, quę ab essentia non distinctum quiddam.

dam sonant, Deumq; verum à fictitijs gentium numinibus discernunt, intelligendum est: vt sicut trium personarum vna est Deitas, sic etiam vna sit omnipotentia, omniscientia, immensitas seu omni præsentia, vna agendi libertas, æternitas, immortalitas, incorruptibilitas, iusticia, bonitas &c. quæ pari ratione tribus personis à scriptura tribuuntur, & de singulis *συνώνως* prædicantur.

XXIX. Quæcunq; enim essentia siue natura diuina propria habet, ea personis sunt communia, & ipsis æqualiter pariq; ratione insunt, ac de illis dicuntur.

XXX. Vnde increatus est Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus: Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus: AÆternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus: Et tamē non tres æterni, sed vnus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus & vnus immensus: similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: Et tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens: vt Athanasius in suo symbolo loquitur.

XXXI. Deinde vnum sunt operationis identitate: iuxta illud: Quæcunq; Pater facit, hæc & Filius pariter facit Ioh: 5.

XXXII. Vnde etiam opus creationis & conseruationis rerum omnium Ecclesiæq; collectionis & gubernationis, & quæcunq; huc pertinent, scriptura nunc Deo absolutè, nunc singulis personis tribuit: sicut infra patebit: ita tamen, vt *οικονομίας* & certum agendi ordinem inter eas monstret.

XXXIII. Hic autem ordo agendi inter ipsas personas equalitatem diuinitatis & operationis earum non euertit: sed actionis monstrat dispensationem.

XXXIII. Atq; ita trium personarum opera, quæ ad extra Augustino nominantur, inseparabilia sunt non *ἀδωαμία* quadam agendi, sed propter eiusdem nature in tribus vnitatem.

XXXV. Etsi verò nonnunquam vni persone opus aliquod adscribitur, tamen nota est regula, quòd in operibus ad extra, nominata vna persona, reliquæ non excludantur.

B 3

36. Deniq;

XXXVI. Deniq; vnum sunt in cultuum & adorationis identitate.

XXXVII. Sicut enim Pater, ita quoq; Filius & Spiritus Sanctus diuino honore afficiendus, veraq; inuocatione & gratiarum actione colendus est: vt paulo post ex sacrarum literarum testimonijs probabimus.

XXXVIII. Hæc autem Deitatis vnitas propterea statuenda est, quod scriptura non tres Deos, sed vnum Deum agnoscendum & colendum proponit, & nihilominus tamen, cum natura diuinitatis sine vlla sui distractione & confusione sit tota & perfecta in singulis personis, non solū Patrem, sed Filium quoq; & Spiritum Sanctum plenè & perfectè Deum esse pronunciat.

XXXIX. De patris enim Deitate ipse Filius testatur Iohan: 17 & 20. Et à Paulo dicitur Pater Deus omnia in omnibus 1. Cor: 15. A Eternus Deus Rom: 6. præterquam quod I E H O V A nomine Dei propriissimo passim in scriptura Pater appellatur, actionesq; & cultus diuini ipsi attribuuntur.

XL. Sed cum de Patre nulla ferè sit controuersia, superuacaneum puto testimonia plura cumulare.

XLI. Filij vero Deitas non minus ac Patris ex scriptura probatur.

XLII. Ac primum quidem à nominibus, quæ non nisi Deo ipsi conueniunt, cumq; à creaturis discernunt.

XLIII. Vt Deitatis respectu, qua ab æterno in seipso subsistit, Iehoua dicitur: Hoc est nomen eius, quo vocabuntur sum, Iehoua iusticia nostra Ierem: 23. Ascendit Deus cum iubilo & Iehoua in voce tubæ, Psal: 74. & apud Iesaiam multis in locis hoc nomen ipsi tribuitur.

XLIII. Eodem respectu passim in scripturis Deus vocatur, quod videlicet natura Deus est, & omnis plenitudo diuinitatis in ipso habitat corporaliter Colofs: 2. Hinc illæ voces: Verbum erat Deus Iohan: 1. Deus meus & Dominus meus Iohan: 20. Deus sanguine suo acquisiuit Ecclesiam Acto: 20. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus in secula bene-

benedictus Rom: 9. Deus erat in Christo 2. Cor: 5. Qui cum in
forma Dei esset Phil: 2. Deus manifestatus in carne 1. Timoth 3.
Expectantes beatam spem & aduentum glorię magni Dei & sal
uatoris nostri Iesu Christi Tit: 2. Thronus tuus, Deus, in seculum
seculi: vnxit te Deus, Deus tuus &c. Heb: 1. Ipse est verus Deus
& vita æterna 1. Iohan: 5.

XLV. Vt interim multa alia nomina & epitheta soli
Deo competentia, quibus Filius in scriptura insignitur hęc præ
teream, vt q̄ appellatur Filius vnigenitus Iohan: 1. virtus Dei
2. Cor: 1. Sol iusticię Malach: 4. Spes nostra Ephes: 1. 1. Timoth
1. Repemptor noster Colof: 1. Saluator, Matth: 1. Rex regum &
dominus dominantium Apoc: 17. 19. Primus & nouissimus:
Apoc: 1. 2. 22. Omnipotens Phil: 3. Apoc: 1. Omniscius Iohan: 2.
16. Scrutator cordium Apoc: 2. Dominus omnium & Iudex vi
uorum ac mortuorum Act: 10. &c.

XLVI. Deinde eiusdem Deitas ab operibus diuinis
probat: vt quod creauerit res vniuersas easq; adhuc conseruet
& sustentet, Col: 1. Hebr: 1. quod populum Israeliticum ex
Ægypto eduxerit Iesai. 51. Psal: 68. 1. Cor: 10. quod miracula
ediderit propria virtute, sicut testatur tota historia Euangelista
rum, imò potestatem faciendi miracula. Apostolis contulerit
Matth: 10. Marc: 3. & 6. Luc: 9. qui & ipsi in nomine Iesu
Christi malè affectos curarunt & miracula ediderunt: Acto:
3. 4. quod mortuos resuscitet ac viuificet, & quęcunq; Pater
facit ipse pariter faciat Iohan: 5. quod peccata remittat Matth:
9. Mar: 2. Actorum: 10. quod iustificet Romano: 3. quod
sanctificet Iohan: 20. Ephes: 5. Hebr: 9. quod illuminet Iohan:
1. 8. quod vbiq; præfens Ecclesiam suam regat & gubernet Matth:
18. 28. Iohan: 14. quod iudicium exerceat Ioh: 5. quod det vitam
æternam. Iohan: 10.

XLVII. Deniq; cultus inuocationis & gratiarum actio
nis soli Deo debitus Deut. 6. 10. & quem ad creaturam transfer
re nefas est, Iesa. 42. 48. diuinitatem Filij non obscure probat.

XLVIII. Cum enim non nisi natura Deus Gal: 4. qui
est creator cœli & terrę Apoc: 14. sit inuocandus: & Filio æque

ac Patri honor inuocationis Iohan: 5. Actor: 9. Hebr, 1. (vnde & Stephanus cum inuocat Actor: 7.) & gratiarum actionis Luc: 17. Iohan: 9. debeat, ipsiq; omne genu sese flectat Rom: 14. Phil: 2. Imò nostra etiam fides & spes propter rei quam petimus, fideq; & spe apprehendimus, præstandæ certitudinem, Iohan: 9. 11. 14. Rom. 10. 15, in eo reposita sit: firmissima demonstratione consequitur, Filium perfectè & natura Deum esse, & non tantum hominem donis diuinis in tempore exædificatum & Deum formatum, vt noui Photiniani nostri impiè & blasphemè fingunt.

XLIII. Ei iisdem etiam fontibus ad Deitatem Spiritus Sancti asserendam petenda est probatio.

XLV. Nam is & Iehoua appellatur Iesa: 63. Ezech: 2. multisq; alijs in locis, & Dominus 1. Cor: 12. & Deus 2. Regum 23. Quem enim ibi Dauid Spiritum Domini nominat, eundem mox vocat Deum, inquit: Spiritus Domini locutus est per me, dixit Deus Israel, fortis Israel locutus est mihi. Sic Petrus pro eodè usurpat, mentiri Spiritui Sancto & mentiri Deo Acto: 5. Et Paulus pro eodem accipit, templum Spiritus Sancti esse, & templum Dei esse 1. Cor: 3. & 6. Sicut & eundem modò Spiritum, modò Deum appellat 1. Cor: 12.

XLVI. Varia etiam epitheta habet soli Deo propria, vt quod dicitur bonus Psal: 143. veritas 1. Iohan: 5. æternus Hebr: 9. scripturæ sacræ autor 2. Pet: 1. donorum spiritualium distributor 1. Cor: 12. omnipotens Sapient: 7. Iesa: 40. mundum arguens, Iohan: 16. &c.

XLVII. Deinde actiones quas scriptura testante edit, sunt diuinitatis eius certissima argumenta: vt quod tribuitur ipsi opus creationis Gen: 1. Iob: 33. Psal: 33. 104. & conseruationis rerum omnium Gen: 1. Psal: 139. quod colligit & gubernat ecclesiam, eiq; ministros præficit Acto: 13. 20. Iesa: 48. quod eduxit Israelem ex Aegypto Iesa: 63 quod regenerat Iohan: 3. Tit: 3. quod iustificat 1. Cor: 6. quod peccata remittit Iohan: 20. vnde & Spiritus gratiæ appellatur Zach: 12. quod sanctificat Rom: 1. quod filios Dei facit & pios motus excitat Rom: 8. quod fidem largitur 1. Cor: 6. quod Ecclesiam ducit in omnem veritatem

tem

rem & mysteria reuelat Ioh: 16. q̄ inuestigat profunda Dei 1. Cor: 2. quod miracula edit Rom: 15. 1. Cor: 12. Psal: 95. quem Psal-
mum Apostolus Hebr: 3. de Spiritu Sancto interpretatur, quod
mouet corda ad inuocationem Ioh: 4. vnde etiam Spiritus pre-
cum vocatur Zacha: 12. quod sapientiam & loquendi facultatem
largitur Matth: 10. quod restituit in nobis imaginem Dei amif-
sam 2. Cor: 3. quod intercedit pro nobis apud Deum Rom: 8.
quod nos certos reddit de vita æterna, seu est arrhabo hæreditatis
nostræ Ephes: 1. &c. quæ omnia & singula solius Dei opera sunt
propria, & nulli creaturæ competunt.

XLVIII. Postremò cultus quoq; diuinus Spiritui
Sancto deberur.

LXIX. Nam & Verbum ipsius vt Dei audiendum est
Apoc: 2. & ipse vt verus Deus inuocandus: iuxta illud Psalmi 95.
Venite exultemus Domino &c. quod ad Spiritum Sanctum re-
fertur Hebr: 3. vt iam dictum est. Et Esa: 6. Dominus exercituum
adoratur, quem Spiritum Sanctum fuisse Apostolus Acto: 28.
ostendit. Et 1. Cor: 6. iubemur glorificare Deum Spiritum San-
ctum habitantem in nobis.

L. Quo pertinet, quod profitemur in symbolo Apo-
stolorum & alijs, nos in Spiritum sanctum credere. Fides enim
fundamentum est veræ inuocationis, ita vt non inuocemus, nisi
in quem credimus, Rom. 10.

LI. Imo cum in baptisate, quod est stipulatio cum
Deo 1. Pet. 3. nos ad agnitionem, inuocationem & celebrationem
illius vnus veri Dei, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus obli-
gemus: sequitur fœdus Dei in Baptismo sancitum irritum face-
re, quicumq; ab inuocatione Patris & Filij, Spiritum S. exclu-
dunt.

LII. Vnde Damasus in Confessione Catholicæ fidei
ad Paulinum illos anathemate ferit, qui dixerint, Spiritum San-
ctum non esse adorandum ab omni creatura, sicut & Filium atq;
Patrem lib. 9. cap. 16 hist. tripar.

LIII. Quare cum ex prædictis constet, non solum Pa-
trem, sed Filium quoq; & Spiritum sanctum perfectè & natu-
ra

C

ra

ra Deum esse, nec tamen plures, sed vnus tantum sit Deus, sicut
suprà probatum est: euidentissime conficitur Patrem, Filium &
Spiritus Sanctum, esse vnum illum verum Deum, cum naturæ
seu diuinitatis æternæ, tum etiam operationis & cultus identita-
te: quod demonstrandum erat.

DE TRIBVS VNIVS DIVINITATIS PERSONIS, ET harum ad se inuicem differentia, Disputatio tertia.

I. Quando verò ita vnus est Deus, vt distinctè interim
in tribus personis considerandus proponatur: non abs re erit, &
scripturæ testimonijs & diuinis patefactionibus hoc ipsum con-
firmare, & de discrimine ipsarum personarum inter sese dispicere.

II. Testimonia sunt: In principio Barah Elohim, creauit
Dij coelum & terram Gene. 1. Et ait Deus: Faciamus hominem
ad imaginem & similitudinem nostram. ibid. *Vaÿtser Ie-
houa Elohim* Formauit Dominus Dij hominem &c. Gen. 2. Ec-
ce Adam factus est quasi vnus ex NOBIS. Gen. 3. Letetur Isra-
el Beofau in factoribus suis Psal. 149. Vbi è Eloah Osai Deus
factores mei? Job 35. In quibus dictis scriptura singularem nu-
merum cum plurali haud dubiè ideo coniunxit, vt in vna Dei na-
tura tres esse personas innueret.

III. Nam dicta testimonia ad tres tantum, non plu-
res aut pauciores restringenda esse, argumento est, cum q̄ opus
creationis interdum Deo absolutè & indistinctè, interdum re-
spectiuè & distinctè nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui Sancto
tribuitur, vt ex prædictis patet, tum etiam, quod in alijs scripturæ
testimonijs tres personæ nominantur.

IIII Huc referri possent & illa: Dixit Iehoua, descen-
damus, &c. Gene. 11. Non potestis DEO seruire, quoniam
Elo-

Elohim kedoschim hu: Dij sancti ipse est Ios. 24. Si Dij ego sum,
ubi honor meus? Matth. 3. & alia dicta plurima, in quibus singu-
laris numerus cum plurali ad vnitatem Essentiæ diuinæ & perso-
narum trinitatem ob oculos subiiciendam coniungitur: Sed bre-
uitati studeamus, & ex multis pauca scripturæ testimonia videa-
mus, quæ trium personarum disertè mentionem faciunt.

V. Verbo Domini cœli facti sunt, & Spiritu oris eius
omnis exercitus eorum Psal. 33. Euntes docete omnes gentes,
baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti Math.
28. Rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis Iohan. 14.
Spiritus sanctus quem Pater mittet in nomine meo. Ibid: Cum
venerit paraclitus, quem ego mittam à Patre Iohannis 15. Emisit
Deus Spiritum Filij sui, in quo clamamus Abba Pater. Galat. 4.
Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communi-
catio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. 2. Corinth. 13. Deus
Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriæ, det vobis Spiritum sa-
pientiæ & reuelationis Ephes. 1. Per Filium habemus accessum in
Spiritu ad Patrem Ephes. 2. Tres sunt qui testimonium perhi-
bent in cœlo, Pater, Filius & Spiritus sanctus, & hi tres vnum
sunt. 1. Iohannis 5. &c.

VI. Patefactiones etiam diuinæ in veteri & nouo te-
stamento factæ, mysterium vnitatis & Trinitatis innunt: vt cum
Abraham tribus viris occurrit, & vnum adorat Gene. 18. in co-
quod tres vidit trinitatis mysterium intellexit, quòd vnū quasi ado-
rauit, in tribus personis, vnum Deum esse cognouit, vt Augusti-
nus loquitur ser. 70. de temp. Sic duo Angeli, id est, duæ diuini-
tatis personæ à Domino quæ est persona tertia ad deletionem So-
domorum & liberationem Lothi mittuntur Gene. 19. Sic Trisha-
gion Iesa. 6. mysterium Trinitatis continet: Vnde etiam Iehouam
in folio maiestatis sedentem & Prophetam cum mandato mit-
tentem scriptura non de solo Patre Apoc. 4. sed etiam de Filio
Iohan. 12. & de Spiritu Sancto Actor. 28. interpretatur. Et Rabbi
Simeon, citante Galatino lib. 2. cap. 1, de arcan. Cathol. veritat. in

C 2 dicto

dicto Trishagio, Trinitatem agnoscit, cum ita scribit:
kadosch zeh au, kadosch zeh Ben, kadosch ze Ruach
hakkodesch: Sanctus, hic est Pater: Sanctus, hic est Filius: San-
ctus hic est Spiritus sanctitatis.

VII. Sed in nouo testamento Deus in tribus perso-
nis familiaris & discrimine illustriori innotuit: vt in baptisma-
te Christi: Math. 3 Marc: 1 Luc. 3 eiusdemq; transfiguratione Mat
27. Marci 9.

VIII Atq; ita tam dicta scripturæ, quam apparitiones
diuinæ, in vno Deo tres esse hypostascs siue personas solidè con-
firmant.

IX. Dicimus ergo Patrem, Filium, & Spiritum San-
ctum tres esse duplici ratione: Primum respectu ipsarum Perso-
narum; quæ sicut non animi cogitatione subsistunt, neq; loco &
tempore separantur aut diducuntur: Ita quoq; non nudis tan-
tum appellationibus differunt, sed verè & realiter diuersis hypo-
stasibus distinguuntur.

X. Nam Pater non est Filius aut Spiritus Sanctus, nec
Filius est Pater aut Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus est Fi-
lius aut Pater, sed in hac æterna & indiuisa Trinitate est ὁ Θεὸς ὁ
ἄλλος, non ὁ αὐτὸς ὁ αὐτός.

XI. Ἀλλότης enim discrepantiam essentialem signifi-
cat, qua tres personæ Trinitatis eandem habent definitionem
& non nisi vnitæ essentiæ logica vnus esse Deus dicuntur:
ἄλλοιότης verò realem differentiam personarum notat, qua subla-
ta in errorem Sabellij incidere necesse est.

XII. Differunt igitur personæ inter se realiter, & à com-
munitate essentiæ formaliter distinguuntur.

XIII. Hanc verò personarum ἄλλοιότησα ipsa scriptu-
ra monstrat, cum de Filio testatur, ipsum fuisse apud Deum Io. 1,
et esse characterem hypostaseos Patris, vt in quo hypostasis Patris
refulgeat: Heb. 1,

XIIII. Illa enim dicta peculiarem subsistentiam Pa-
tri

tri in qua à Filio differat, assignant, & Filij quoq; propriam esse hypostasin innuunt.

XV. Sic ipse Filius Patrem à se distinguit, cum alium dicit, qui testimonium sibi perhibeat Iohan. 5. Et Spiritum Sanctum alium à se & Patre nominat Iohan. 14.

XVI. Quid quod apparitiones diuinæ, vbi singulæ personæ seorsim apparuerunt, actiones item quæ singulis personis adscribuntur, & cultus deniq; inuocationis, qui similiter ad singulas sæpè personas refertur, de quibus omnibus supra dictū est, αἰδιότης earum confirmant, & distinctionem inter ipsas constituunt.

XVII. Hæc autem distinctio non est rationis, ne vnā & eandem personam Deitatis diuersa nomina pro officiorum diuersitate sortiri cum Sabellio imaginemur, & personas in accidentia transformemus: Neq; etiam essentia ipsius, ne cum Trinitatis tres Deos animo concipiamus: Sed tamen realis & vera, qua Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt tres personæ in se subsistentes, & ab inuicem realiter ὑποστάσεις ratione differentes.

XVIII. Deinde, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum tres esse dicimus respectu proprietatum characteristicarum, quibus hæ tres personæ inter se discernuntur.

XIX. Harum aliæ sunt internæ, aliæ externæ.

XX. Proprietates externæ sunt, quibus singulæ personæ erga Ecclesiam se patefecerunt, & quæ extra diuinitatem ad creaturas referuntur.

XXI. Nam licet opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, & tribus personis communia, ita vt vna operante, aliæ quoq; propter æqualem potestatem & indiuiduam existentiam operari intelligantur: Tamen certa quædam οἰκονομία & ordo agendi inter ipsas à scriptura monstratur.

XXII. Sic Patri Creatio, Filio redemptio, Spiritui sanctificationis adscribitur: & nihilominus creationis, redemptionis & sanctificationis opus toti Trinitati commune est: Sic pater mittit, Filius & Spiritus sanctus mittuntur, &c.

XXIII. Vnde patet, quod licet in operibus Trinitatis ad extra, nominata vna persona reliquæ non excludantur: rationem tamen ordinis & actionis dispensationem inter eas seruari

XXIII. Neq; enim Filius per Patrem, sed Pater per Filium operatur, Iohan. 1. & 14. Heb. 1. Col. 1. Spiritu Sancto res productas fouente & viuificante: Gen. 1. ita vt Pater, sicut diuinitatis, ita etiam omnium operationum totius Trinitatis communium fons sit, principium & origo, Filius sapientia & consilium, S. Sanctus virtus et potentia efficaciam rebus inferens, easq; fouens, sustinens & sanctificans.

XXV. Breuiter, sicut vna est trium diuinitas, ita vna est operatio: & nihilominus tamen secundum ἀλλοιότητα ὑπεστάσεως alia distinctaq; officia et distinctæ actiones (quæ externæ dicuntur notiones & proprietates) ipsis personis attribuuntur.

XXVI. Internæ proprietates sunt, quibus tres personæ intra sese extra creaturas agentes describuntur. His ita ceu notis & characteribus quibusdam distinguuntur, vt character Patris, quia Pater est, sit non τὸ ἀγεννητὸν simpliciter (Nam hæc notio ipsi cum Spiritu communis est) sed quod Filium generat: Filij verò sit τὸ γεννητὸν, & quod est λόγος ac ἑκὼν Patris: & Spiritus Sancti, quod est ἐκπορευτὸν ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ.

XXVII. Dicitur autem Pater ἀγέννητος, cum quia est Principium de non principio, fons ac quasi scaturigo reliquarum personarum, & omnis originis expers: tum etiam proprie respectu Filij quem generat.

XXVIII. Solius igitur Patris est generare: & hac proprietate incommunicabili à reliquis personis discernitur.

XXIX. Gignens verò Filium Pater, gignit à se gignente alium.

XXX. Si enim nulla prorsus re differentem à se Filium gigneret & essent prorsus, τοαυτὸ Pater & Filius: non gigneret Pater alium, sed semetipsum, essetq; sui ipsius Pater, & eandem cum Filio haberet definitionem.

XXXI. Veruntamen ita alium gignit, vt non alium à se Deum producat, sed aliam Deitatis personam.

Est enim

XXXII. Est enim vna eademq; gignentis & geniti essentia, in singulis tota & perfecta, & Deitas qua Filius Deus dicitur, est illa ipsa qua Pater quoq; Deus est.

XXXIII. Adeò vt Filius, quà in essentia sua absolutè sine Patris respectu consideratur, sit & ipse absq; principio & à seipso Deus, suumq; esse ab æterno in semetipso habeat, quoniam nimirum vnica cum Patre Deitatem omni principio carentem obtinet: Quà verò reatio attenditur, Patrem principium sui habet, vt cuius naturæ æterna generatione particeps factus est, diciturq; Deus de Deo, lumen de lumine. Quæ omnia copiosè disputantur ab Aug: lib. 5. de Trin: & tract. in Ioh. 39. & alibi.

XXXIII. Quare hinc conficitur, quod generatio non fiat deriuatione quadam partis à toto, nec essentia cuiuspiam secundæ ex prima essentia propagatione, ac si ex essentia Patris Filij essentia proflueret, sed totius diuinitatis æterna communicatione: Ita vt Filius Patri sit coessentialis, character ὁμοούσιος ipsius & splendor gloriæ Heb. 1.

XXXV. Nam si essentia gigneret essentiam gignens & genitum non tantum realiter, sed etiam essentialiter differrent, id quod fit in creaturis finitis, quæ διαίρεσις quidem essentialem multorum indiuiduorum admittunt, quamuis vnã logicam habeant essentiam.

XXXVI. Sequitur ergo non rectè dici, quod essentia producat essentiam, (ne duæ personæ totidè Deos constituere intelligatur) sed personam personam: Ita vt productio hæc et numerus productorum in vna diuinitatis essentia maneat, nec extra sese ad alias rerum essentias extendatur.

XXXVII. Inde etiam constat, quod Patrem esse, non est essentia, sed personæ proprietates: Et idem de Filio & Spiritu sentiendum est.

XXXVIII. Non enim ita Filius ex substantia Patris gignitur, vt alius & secundarius quidam à Patre Deus constituitur, sed proprietate illa personali, quæ est τὸ γεννητόν (vnde etiam vnigeniti nomen obtinet, Ioh. 1. & 3.) in vna simplicissima & indiuidua Deitate à Patre & Spiritu distinguitur.

XXXIX Hæc etiam Filij generatio non facta est in tempore

pore, nec mora aliqua interposita unquam cessauit, sed æterna est, & nunquam desinens: Ita vt Filius ab æterno in æternum generetur, & cum Patre & Spiritu Deus æternus existat.

XL. Nam cum in Deum non cadat temporis principium nec finis, neq; momentum vllum, quo Pater absq; Filio fuerit cogitari possit: sequitur quod absq; tempore generet, et à generando nunquam cesset.

XL I. Imò qui generationem unquam in Patre cessasse dicit, is necessariò substantiæ Dei nouationem quandam affingit, & secundum tria temporis spacia, quæ sunt ante, in & post generationem, tres mutationes in diuinam naturã inducit: Idq; contra scripturam, quæ negat in Deo esse transmutationem aut conuersionis obumbrationem Iacob. 1. Mal. 3.

XL II. Generatio etiã non est posterior ipso Deo, licet mente post intelligatur: sed simul & Deus est & generat.

XL III. Adeò vt neq; voluntas & deliberatio Dei, quæ tamen creaturarum productione prior fuit Gen 2. generationem præcesserit.

XL IIII. Ex quo & hoc sequitur, quod sicut esse & voluntas Dei Patris non præcedit Filij generationem: Ita Filij quoq; generatio non præcedit esse ipsius, sed semper Filius simul & est & generatur.

XL V. De hac æterna Filij generatione loquuntur hæc dicta: Iehoua dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Psal. 2. Hoc enim Apostolus Heb. 1. de Christo, per quem & secula facta sunt, interpretatur. Hodie vero particula æternam generationem Dei, apud quem omnia præsentia sunt, exprimit. Et Prouerb. 8. Ipsa sapientia, quæ est Dei Filius. 1. Cor. 1. testatur, se à Iehoua genitum esse, & ab initio ante omnia opera cum eo fuisse. Nam verbum kanah quod hoc loco (sicut & Gen 4. possedi virum per Dominum) vsurpatur, idem est quod possedit & genuit. Sic Iohan. 16. Credidistis quod à Deo exiui.

XL V I. Vnde patet, Dei Filium ab æterno à Patre verè & realiter genitum, adeoq; ipsi Patri ὁμοῦσιον καὶ σὺν-ᾧον esse. Præter

XLVII. Præter hanc æternam est quoq; alia Filij generatio seu natiuitas temporaria, qua videlicet Filius Dei in plenitudine temporis Gal:4. veram et integram humanam naturam, Ioh:1. consubstantialem nobis, sed tamen absque peccato Heb:2. ex virgine matre Iesa:7. superueniente Spiritu Sancto Luc:1. in personæ vnitatem Rom:5.1. Timoth 2. assumpsit, eamq; sibi ita propriam fecit, vt propter hanc hypostaticam & inseparabilem vnionem (qua Deus & homo vnus est Christus) concreta naturarum de se inuicem prædicentur, actionesq; & passiones sint totius personæ communes.

XLVIII. Sed hanc temporariam Filij Dei natiuitatem persequi non est loci huius & instituti nostri, alia disputatione, Dei gratia, de ea collaturi.

XLIX. Vtriusq; autem natiuitatis mentio fit Mich:5. Et tu Bethlechem Ephratah paruula es inter Chiliarchas Iuda: ex te verò prodibit, qui sit Dominator in Israél, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Et Paul: Rom:1. Factus ex semine Dauid secundum carnem, & declaratus Filius Dei cum potentia. Et cap:9. Christus est ex patribus secundum carnem, & supra omnia Deus laudandus in secula.

L. Quare cum non tantum temporalis, sed æterna quoq; sit Christi generatio: sequitur ipsum non tunc primum cœpisse Deum esse, quando ex virgine natus est, sed verè & realiter ante assumptam carnem ab omni æternitate substituisse.

LI. Si enim certo tempore diuinitatem acceptam obtinet, duos inæquales Deos introduci necesse est: vnum deificatum, alterum in tempore deificatum: quod est contra scripturam dicentem: Ante me non est formatus Deus, & post me alius futurus non est. Iesa:43.

LII. Et passim obuia sunt scripturæ testimonia, quæ perspicuè testantur, Christum fuisse, priusq; humanæ suæ naturæ respectu in Maria conciperetur & nasceretur: Ipse enim initio fuit cum Deo ante orbis terrarum omniumq; rerum fabricationem. Prouerb:8. Sapie:9. Iohan:1. & gloriam apud Patrem habuit Iohan:17. Imò in principio terram fundauit Hebr 2. est

D

Pater

Pater æternitatis Iesà: 9. primogenitus omnis creaturæ, ante omnes, & per quem omnia consistunt Col: 1. Iesus Christus heri, hodiè & idem in seculo Hebr: 13. primus & nouissimus Apoc: 1. qui est priusquam Abraham fieret Iohan: 8. fuit dux populi in deserto 1. Cor: 10. &c.

LIII. Ex quibus omnibus liquidò apparet, Filium Dei non certo tempore Deum factum esse, sed ab æterno cum Patre & Spiritu verum & æternum Deum substituisse, æternaq; generatione ab utroq; distingui, ita vt rectè proprietates ipsius personalis τὸ γεννητὸν constituatur, sicut dictum est.

LIIII. Spiritus autem Sancti proprietates characteristicæ interna & personalis est τὸ ἐκπορευτὸν Ioh. 15.

LV. Etsi enim Filius quoq; ex Deo processisse scribitur Ioh. 8. illius tamen procedere est ἐξελθῆναι, exire, nasci & in forma serui ad obeundum ministerium Euangelij & redimendum genus humanum mitti: Spiritus verò proprie ἐκπορεύεται, ita vt processio hæc non sit missio extrinsecus illata, sed æterna ipsius subsistentia, qua naturalem cum Patre et Filio utrobique essentialiter obtinet, & proprietate sua incommunicabili ab iisdem verè & realiter distinguitur. Et ob id etiam æterna dicitur hæc processio, vt à temporali illa, quæ est missio & donatio Spiritus Sancti, nunc specie visibili nunc inuisibili facta, discernatur.

LVI. Cum igitur procedit Spiritus Sanctus, non disiungitur a Deitatis essentiali, nec aliunde ad alia quasi transmigrat, sed cum Patre & Filio indiuisam naturam obtinens nullò locorum sine clauditur.

LVII. Neq; etiam procedit a solo patre, aut a solo Filio, sed a Patre & Filio simul: quicquid hic olim a Græcis, quos & Armenij imitati sunt, contra Latinos disputatum sit.

LVIII. Nam cum Spiritus sit vtriusq; & Parris Matt. 30. Rom. 8. & Filij Gala. 4. Rom. 8. & ab utroq; mittatur Iohan. 14. 15. 16. Filius etiam afflet Apostolis Spiritum Sanctum Iohan. 20. habeatq; eandem essentialiter cum Patre Iohan. 10. & sit in Patre & Pater in eo Iohan. 14. Sequitur, quod non diuisim a solo Patre & diuisim a solo Filio, sed ab utroq; simul procedat; ita vt rectè Con-

stantinopo-

Constantinopolitana Synodus prima præter alia verba ad articulum
de Spiritu s. pertinentia Symbolo Niceno etiam hæc addide-
rit: Qui ex Patre & Filio procedit.

LIX. Quid autem intersit inter procedere & nasci, &
longum est querendo differere, & temerarium, cum differueris,
definire: vt August. inquit tract: in Iohan. 99.

LX. Eodem tamen tractatu & lib: 15. cap. 27. de Trinit: tale
discrimen constituere videtur, vt Filius dicatur genitus, quia so-
lius Patris est Filius: Spiritus verò procedens, quia est vtriusq;
Spiritus, nec tamen vtriusq; Filius. Esset autem Filius: vtriusq;
si de vtroq; nasceretur.

LXI. In libro verò 9. de Trinit: Cap. 12. dicit Spiritum
Sanctum procedere sicut amor ab amante: hoc est, processionem
Spiritus fieri per modum amoris, Filij verò generationem per
modum emanationis verbi.

LXII. Sicut enim mens hominis format imagi-
nem rei cogitatae, quam formatam sermone exprimit, licet essen-
tiam suam in eam non transfundat, sed sit ipsa accidens quod-
dam: Sic dum Pater seipsum cogitat, cognoscit & intelligit,
verbum concipit: Et quia in diuinis nullum est accidens, hoc ip-
sum verbum, quod Pater concipit & gignit, est subsistens quid-
dam, intelligens, viuum & incommunicabile.

LXIII. Deinde sicut in corde à potentia voluntatis
nascuntur motus & affectus: Sic inter Patrem & Verbum geni-
tum mutuus est amor, & hic amor, quem Pater & Filius in vni-
tate virtutis vnoq; spirationis actu spirant, non est accidens, sed
flamma substantialis, viua & intelligens, qua Pater & Filius
tanquam nexu indissolubili copulati & coniuncti sunt, seu est ipse
Spiritus Sanctus ab vna spiratione Patris & Filij emanans.

LXIII. Et hinc vsitate dicitur: Nasci est ab intellectu,
procedere est à voluntate: seu, Filius est à potentia cognoscente,
Spiritus à potentia volente, à qua est motus & affectus: & dici-
tur Spiritus procedere, quia processio est motus seu agitatio.

LXV. Sed quia similitudines à creaturis ad creato-
rem accommodatae tanquam parum firmæ sobriè sunt confide-

D 2 randæ

randæ, & non pro dogmate, sed potius explicationis gratia adhibendæ: sufficiat nobis, quod scimus & credimus, scriptura edocti, Filium à Patre gigni, Spiritum Sanctum ab utroque procedere, licet modus tam generationis quam processionis & nobis ignotus sit & ineffabilis.

L X V I Et hæc iam enumeratæ sunt trium personarum proprietates characteristice internæ, quibus adinuicem verè & realiter distinguuntur.

L X V I I. Ac licet ordo aliquis inter ipsas personas monstratur: is tamen non est prioritatis sed originis duntaxat.

L X V I I I. Est enim vna persona ex alia, non vt effectus ex causa, sed vt principium de principio: vno tamen tantum principio existente, & personis sibi coeternis.

L X I X. Nullos etiam gradus Diuinitatis personæ admittunt, sed sicut earum vna est Deitas, non maior in omnibus, quam in singulis: Ita vna est potentia, virtus, dignitas, gloria & maiestas in omnibus & singulis æqualiter existens.

DISPUTATIO QUARTA, CONTINENS DESCRIPTIONEM Dei, ex actionibus & effectibus tribus personis communibus.

I. Et hæc tenus quidem constat nobis, quomodo Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint & vnus Deus & tres personæ. Restat, vt vltimam quoque definitionis partem, quæ Deum ex effectibus & actionibus externis, singulis personis secundum agendi ordinem in scripturis monstratum communibus, describit, videamus.

II Possunt autem actiones hæc ita distribui, vt aliæ ad creationem, aliæ ad rerum omnium conseruationem, aliæ ad Ecclesiæ

clesiæ collectionem & gubernationem, aliæ deniq; ad iudicij
administrationem referantur.

III. Ex quibus actionibus licet Deo nomina quædam
(vt quod Creator cœli & terræ vocatur &c.) ab existentia operis
ipsius in tempore attribui cœperunt: Nulli tamen propterea mu-
tationi aut nouationi essentia diuina subiecta est, sed mutatio so-
lum in illa re fieri dicitur, cuius respectu noua nomina Deo in
tempore tribuuntur August. lib 5. de Trinit. cap. 16.

IIII. Cumq; has actiones scriptura interdum Deo
absolutè & indistinctè, interdum distinctè, nunc Patri, nunc Fi-
lio, nunc Spiritui Sancto, ad vnitatem essentia diuinæ & tres in
hac personas denotandas attribuat: sequitur, eas singulis perso-
nis non ita proprias esse, vt toti Trinitati communes esse desi-
nant.

V. Ac primum quidem opus creationis indefinitè Deo
adscribitur Gen. 1. Psal. 89. Act. 17. & alijs in locis multis.

VI. Distinctè verò Patri adscribitur Act. 4. Domine,
tu es, qui fecisti cœlum & terram, &c. Matth. 11. Gal. 3 & in sym-
bolo Apostolorum.

VII. Filio opus creationis adscribitur Psal. 102. In prin-
cipio tu fundasti terram &c. Hunc enim locum Apostolus Heb.
1. de Christo interpretatur. Sic quod Ies. 45. de Iehoua Deo dicitur,
quod sit creator cœli & terræ, & hominum, quodq; ipsi in-
curuetur omne genu, & omnis lingua iuret: &c. Hoc Paulus ad
Christum transfert Ro. 14. Et alia testimonia extant Pro. 8. Sap. 9.
Ioh. 1. & 5. Col. 1. Cum etiam nullus Deus, nisi qui est creator cœ-
li & terræ, sit inuocandus: Apo. 14. Et Filius æquè ac pater hono-
retur: Iohan. 5. sequitur, ipsum cum Patre cœli & terræ creato-
rem esse.

VIII. Spiritui Sancto opus creationis tribuitur Ge. 1.
Iob. 33. Psal. 33. 104. Ies. 40.

IX. Creationi affinis & cognata est recreatio, quæ crea-
tio secunda dici consuevit: hæc similiter nunc Deo absolutè Psal.
50. & in multis locis alijs, nunc singulis personis tribuitur. Vinifi-
catio enim Patri & Filio Ioha. 5. & eadem Spiritui Sancto 2. Co. 3.

D 5 adscri-

adscribitur. Sic Iustificatio tribuitur Patri Rom. 8. Filio Rom. 3. Spiritui Sancto 1. Cor. 6. Peccatorum remissio Patri Luc. 23. Filio Matth. 9. Spiritui Sancto Iohan. 20. Sanctificatio Patri Ioh. 17. Filio Ephes. 5. Heb. 9. Iohan. 20 Spiritui Sancto Ro. 1. &c.

X. Deinde omnium rerum conseruatio indistinctè Deo adscribitur, cum sacræ literæ testantur, quod in ipso uiuamus, moueamur & simus, Act. 17. quod det & sustentet vitam. Deut. 10. Prou. 9. Acto. 17. eamq; regat Pro. 20. quod det victum Psal. 145. Ies. 48. Act. 14. creet cibos 1. Timoth. 4. præbeat nobis omnia copiose ad fruendum 1. Timo. 6. Imò lilia & herbam agri vestiatur Matth. 6. det pluuias, foecunditatem ac tempora frugifera Ios. 3. Zach. 10. Mal. 3. Act. 14. largiatur robur corporis & animi Ies. 40. Psalm. 18. diuites faciat Pro. 10. regna transferat atq; constituat Dan. 2. 1. Esd. 1. det Reges & Magistratus 2. Reg. 7. Ies. 45. seruet Politias Psal. 127. largiatur obedientiam populo 2. Par. 30. consilia mala dissipet 2. Reg. 17. det pacem 2. Par. 14. &c.

XI. Distinctè verò Patri Matth. 6. Pater cœlestis pascit volatilia cœli. Et Matth. 10. Duo passeris assè ueneunt, & vnus ex illis non cadit in terram sine Patre uestro. Filio Col. 1. Heb. 1. Et de se & Patre Filius Iohan. 5. testatur: Pater meus usq; modò operatur & ego operor. Spiritui Sancto Gen. 1. Psal. 139.

XII Ecclesiæ etiam collectionem & gubernationem Deo absolute, sine certæ alicuius personæ mentione tribuit scriptura, cum dicit, quod mittat Prophetas 2. Par. 36. Ies. 41. Ecclesiam uocet & colligat Ies. 14. eamq; doceat. Isai. 48. & curam eius agat Ies. 49. Psal. 34. 46. 80. homines conuertat Psal. 80. miracula faciat Psal. 98. 136. corda mutet 1. Reg. 10. Ier. 32. circumcidat Deu. 30. & ad se inclinet 1. Reg. 8. Psal. 119. occidat & uiuificet 1. Reg. 2. 4. Re. 5. peccata remittat Mich. 7. agentes poenitentiam recipiat Ezech. 18. 33. inuocantes exaudiat Psal. 5. 6. 81. 94. sanctificet Exo. 31. Ez. 20. illuminet Psal. 27. &c.

XIII. Patri verò Ecclesiæ gubernatio adscribitur Eph. 1. ubi dicitur quod benedixerit nos omni benedictione spiritali in Christo, & elegerit nos in ipso ante iacta mundi fundamenta. Propterea etiam Filium suum misit, et à lege liberatos, nos in Filios ad-

adopravit, deditq; Spiritum Sanctum in corda nostra, Gal. 4.
vt æternam sibi Ecclesiam colligeret.

XIIII. Sic de Filio legitur, quod Ecclesiam colligat Io.
10 Act. 20. eamq; præsens gubernet Matt. 18. 28. Io: 14. & in eius æ-
dificationem ministros constituat, Eph. 4. quod Verbum ex sinu
Patris proferat. Matth. 11. Iohan. 1, &c.

XV. Et de Spiritu Sancto recitata sunt testimonia sup.
Prop. 47. disputa .1.

XVI. Deniq; iudicij administratio indistinctè Deo tri-
buitur Psal. 9. & loci plures sunt allegati sup. prop. 29. disp. 1. Di-
stinctè verò Patri & Filio, Ioh. 8. Filio Ioh: 5. Act. 10. 2 Tim: 4. Spi-
ritui Sancto. Io. 16. 1 Cor 2.

XVII. Multæ etiam sunt aliæ actiones, quæ à scriptura
nunc Deo indefinitè, nunc singulis personis tribuuntur: sed eas
omnes enumerare & nimis longum foret, & tædiosum: & hæ,
quas recitauimus, in mediocrem Dei cognitionem nos deducunt.

XVIII. Et cum his quidem, quæ hætenus scriptura di-
stacte de Triuno Deo diximus, consentiunt etiam piæ Synodi &
omnium orthodoxorum Patrum scripta, qui doctrinam hanc &
contra hæreticos acriter defenderunt, & ad posteritatè propa-
garunt.

XIX. Nota enim est Gregorij Neocesariensis de S. Trinit.
Confessio, quam in Synodo Antiochena prima, in qua Samosa-
tenus circa annum Christi 275 damnatus est edidit. Eus. lib. 7 c 25.

XX. Et Patres in vrbe Bythinia Nicea anno Christi 325. ad-
uersus Arium congregati, condiderunt Symbolum, quod à loco
Nicienum appellatur, in quo confessionem de tribus personis
edunt: Cui symbolo Episcopi in Constantinopolitana Synodo
prima anno 385 non tantum subscripserunt, sed etiam articulum
de Spiritu S. contra Macedonium & Pneumatomachos auxe-
runt & illustrarunt.

XXI. Sic in Synodo Ephesina anno 435. ab Imp. Theo-
dosio secundo coacta, repetita est doctrina de Filij & Spiritus S.
diuinitate, vt ex Cyrillo patet. Et in Constantinopolitana quinta
anno 552. editi sunt 14. Canones de Trinitate & duabus naturis in
Christo, vt multas alias Synodos et dicta Patrū hinc non enumeré.

XXII. Quare cum ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, liquidò
appareat, vnicam esse diuinam essentiam tribus personis, quæ verè &
realiter inter se distinguuntur, communem: meritò rejicimus om-
nium hæreticorum assertionem contrariam, qua fidei nostræ sin-
ceritatem in hoc doctrinæ capite conuellere nituntur, Filioq; &
Spiritu æternam diuinitatem suffurantur.

XXIII. Et præcipuè improbamus, detestamur, & damna-
mus scœdissimos errores Valentinianorum, qui ex triginta Aeonũ
tanq; Deorum generatione plurimos Deos comminiscuntur: Te-
tratheitarum qui quatuor, Tritheitarum qui tres, Manicheorum,
qui duos Deos, siue duo rerum principia sibi mutuò contraria
constituunt: Sabellianorũ, qui personas cum essentia confundunt,
vnamq; esse in Trinitate personam, quæ diuersa nomina pro diuer-
sitate officiorum sortiatur, affirmant: Saniolatenianorum, Mar-
cellianorum, Photinianorum, qui Artemonis hæresin resuscitatã
propagarunt, Christumq; merum & nudum hominẽ, nec etiam
Deum, sed tamen excellentia virtutum & diuinitatis honore præ
reliquis hominibus exornatum esse, & tunc primum cœpisse, quã
de Spiritu S. conceptus & ex Maria Virgine natus est, nugati sũt:
Arianorum, qui Christum non æternum & natura Deum ex Pa-
tris substantia genitum, sed ante omnes creaturas initium habu-
isse, & ἐξ τῶν οὐκ ὄντων diuinæ virtutis participatione creatum es-
se, adeoq; non αὐτόθεον, sed Deificatum & Patre minorem dicunt:
Semiarianorum siue Acatianorum primorum, qui Christum Pa-
tri ὁμοῦσιον tantum, Acatianorum posteriorum, qui ἕτεροῦσιον,
Anomœorum, qui ἀνόμοιον esse contendunt: Macedonianorũ, qui
asserunt Spiritum S. non esse Deum, sed creaturam seu vim ali-
quã Dei creaturis comunicatam & motum in fidelium cordibus
excitatum: deniq; omnium Antitrinitariorum, qui sunt dictorum

hæreticorum infelix propago. Deumq; toto pectore oramus,
vt afflictę Ecclesię suę misertus Satanę furores com-
pescat, & nos ab omni malo custodiat.

F I N I S.

ULB Halle 3
002 378 663



Handwritten text in a Gothic script, likely a library inventory or title, running vertically along the right edge of the page.


Handwritten text in a Gothic script, likely a library inventory or title, running horizontally along the bottom edge of the page.



ant. cecidantur se
e sacre scriptur. **102**
hoc numero conser
e bene notatis. Jam
les quadraginta di
cunant. et helyas
n. et ihc dominus n.
ator n. ihc xpc. huc
ii numeru implent.
isen significatur **103.**

mus in hoc seculo. **104** u
tuno quam mercedem ad
didit apostolus. Sequitur
et dicit. **105** expectans illam
beatam spem. et manifesta
tionem glie bean dei. et sal
uatoris nri ihu xpi. **106** In hoc
ergo seculo quasi quadragi
simam abstinere ac celebra
mus. cum bene unimus.





DISPUTATIO
DE VNO VE-
RO DEO, QUI EST PATER,
FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS,
habita in Academia Francofor-
diana: Præsida

VRBANO PIERIO S. THEOLO-
gia Doctore & Professore:

ET IMPIIS ANTITRINI-
TARIORVM, QUI SAMOSATE-
ni, Arij, Photini, Macedonij & aliorum hære-
ticorum errores ab inferis quasi reuoca-
tos longè lateq; disseminant,
blasphemijs opposita.



FRANCOFORDIÆ CIS VIADRVM
ANNO, M. D. LXXVII,

E 12

